

CERTAMEN CICERONIANUM 2010

Cicerón ofrece una relación de sus obras filosóficas y de los motivos que le impulsaron a escribirlas (*Diu. II, 1-3*)

1. Nam et cohortati sumus ut maxime potuimus ad philosophiae studium eo libro qui est inscriptus *Hortensius*, et, quod genus philosophandi minime adrogans maximeque et constans et elegans arbitraremur, quattuor *Academicis libris* ostendimus. 2. Cumque fundamentum esset philosophiae positum in finibus bonorum et malorum, perpurgatus est is locus a nobis quinque libris¹, ut quid a quoque et quid contra quemque philosophum diceretur intellegi posset. Totidem, subsequuti libri *Tusculanarum disputationum* res ad beate vivendum maxime necessarias aperuerunt. Primus enim est de contemnenda morte, secundus de tolerando dolore, de aegritudine lenienda tertius, quartus de reliquis animi perturbationibus, quintus eum locum complexus est, qui totam philosophiam maxime inlustrat: docet enim ad beate vivendum virtutem se ipsa esse contentam.

3. Quibus rebus editis, tres libri perfecti sunt *De natura deorum*, in quibus omnis eius loci quaestio continetur. Quae ut plane esset cumulateque perfecta, *De divinatione* ingressi sumus his libris scribere; quibus, ut est in animo, *De fato* si adiunxerimus, erit abunde satisfactum toti huic quaestioni. Atque his libris adnumerandi sunt sex *De re publica*, quos tum scripsimus, cum gubernacula rei publicae tenebamus: magnus locus philosophiaeque proprius a Platone, Aristotele, Theophrasto totaque Peripateticorum familia tractatus uberrime.

¹ Alusión al *De finibus bonorum et malorum*

1. Traducción

2. Características de la prosa ciceroniana a tenor del texto propuesto.

3. La producción filosófica de Cicerón.